



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pasculo
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

Crombach, Hermann

Coloniæ, 1645

Caput 8. Anno 1623 Paraeciae D. V. in Pasculo praeficitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14591

incrementa, siue decemēta referrent accuratè, cibos exquisitissimos quosq; submit, pharmaca suppeditavit: quin & raro præcipui amoris in virum argumento manibus ipse suis nonnulla præparavit ad morbi vim infringendam, & vires corporis prostratas erigendas & confirmandas. Interim pudore virgineo suffundebatur æger, immerenti tam eximia singularis amoris indicia à tanto Principe exhiberi. Nec tamen in aula diu morari potuit, quem Deus ad curam animarum destinabat.

C A P V T VIII.

Anno 1623. Paræcia D.V. in Pasculo præficitur.

DEcessit anno 1623. 12. Februarij R. D. Petrus Spicherus Pastor in Pasculo, Collatio penes Decanum Metropolitanum erat, multi candidati beneficij Iacobum ætate superabant, virtutis cumulatâ famâ, morumq; maturitate nemo, quam Sereniss. Princeps Franciscus per annum exploratissimam habebat, vt præter multorum opinionem, cum vix vicesimum quintum ætatis annum expleuisset, eum
di-

dignissimum existimarit, cui curam Pastoralem eam crederet, qua se totumque Capitulum Metropolitanum, familias item Canonicorum, & eorum quotquot beneficijs templi fruuntur, præter ciuicas alias domus subiiceret. Adijt 22. Martij possessionem, & eam diligentiam munus obire cœpit, vt cum omnium superaret expectationem hanc ex ore Principis sæpe vocem expresserit, neutiquam se poenitere, quòd D. Iacobum ætate iuuenem tanto muneri præfecisset. Qui sicut initio cum Musas à limine salutauit, ideam absolutissimi studiosi & Philomusi, postea Sacerdotis religiosissimi, sic iam exemplar Curatoris animarum vigilantissimi studuit exhibere, & omnes partes huius officij humeris etiam Angelicis formidandi peruestigare, complecti animo, & re ipsa semper exsequi, vtq; facilius gregem Domini pasceret oratione & verbo, secutus exemplum Pastoris Pastorum & Episcopi animarum nostrarum

*Christi, cœpit prius facere,
quàm docere.*

* *

*
B

3

CA